Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Memoria Crvcifixi Bervtens. 9. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

mentum, quòd ad tyrannum, quem ob ſcelera templo proſcripſerat, per maxima itinera excalceatus contendit, & ad facinorum deteſtationem reum ſupplex in genua Iudex invitavit: quin tunc etiam contumacem nihilominùs captivum poſteà in libertatem aſſeruit. Quòd tamen cives Ambianenſes monita ejus vel negligerent, vel contemnerēt etiam, igneos urbi exercitus imminere vidit, interitum hujus, ut D. Firminus GODEFRIDO vaticinatus eſt, portendentes, qui non multò poſt reapſe delapſis cælo flammis eſt inſecutus. Nos, ne cælo DEVS ignes, oculis lacrymas rectè pluemus. *Ex Surio.*

Si tam ſolicitè corporalis fugitur mors, ut nemo mori velit, quantum fugi debet æterna? Si momentaneæ rationabiliter ſunt evitanda tormenta, quæ finem habent, quo animo fugiendæ ſunt omni fine carentia: S. Laur. Iuſtin. c. 17. de Contemptu mundi.

MEMORIA CRVCIFIXI BERYTENS.

9. Novembris.

NImirum facilè CHRISTO cum Carpo hodie credemus, velle illum iteratò pro nobis mori, ſi modò vivere nos velimus. Berytus civitas eſt Tyro & Sidoni contermina. In hâc ſub annum DCCLXV. habitare inter ſpinas lilia, hoc eſt inter Hebræos Chriſtianos, vidiſſes. Et fortè Chriſtianus ædibus ſuis Iudæo ceſſit, alioque migravit, oblitus ſecum ferre nobiliſſimam & ab omnibus retro majoribus acceptam hereditatem, CHRISTI imaginem cruci ſuffixam, opus ab artifice manu ipſius Nicodemi commendandum. Spectaſſes in nepotibus ſuis antiquos Servatoris hoſtes, & non jam odii ſimulachrum, ſed ipſiſſi-

mum

mum veteris impietatis bellum. Iterum Chriſtus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum ſputa volant, alapæ inſonant, flagra crepant, ſpinæ ſe armant, clavi malleiq; intonant. Iterum fel, & felle ſuo acerbior lingua ſævit. Denique (ô cæli patientiam!) iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberraſſe exiſtimes, iterum fons geminus ſanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abſtergere, claudos in pedes erigere, ipſis denique ſceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper fidei tunc lumen aſpicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò antè Iudæos numeraret. *Ex actis Nicenæ Syn. II.*

Cum ponis oculos tuos, ut non reſpicias cælum: & voluptuoſis carnis tuæ motibus moveris, durioribus clavis pedes Omnipotentis tranſverberans illi infers ſupplicium, dum momentaneâ voluptate voluntatem dominantis excludis. S. Pet. Dam. ſerm. 38.

S. THEOCTISTA V. 10. *Novembris.*

REctiùs hoc die Lesbos THEOCTISTAM, quàm olim Sappho ſuam laudat. Apage decimam Muſam, quæ virgo non eſt. At quam ſcribimus, THEOCTISTA, inter virgines ſacras à primis annis educata virginitatem etiam ipſa ſpirat, gratiſſimum odorem illi, cui oderatum mundus non abſtulit. Et potuere THEOCTISTÆ libertatem eripere Arabes prædones, ſed non pudorē proinde, ut qui numquam expugnatur, niſi ubi à proditore animo habitatur. Itaque cùm vivere inter latrones animorum ſe videret, in ſilvas aufugit horridas & metuendas, ſed fidas ſemper virgini